

liber, exterior autem mediate, quia non est intelligendum actum exteriorem fieri liberum per novum usum libertatis, sed per denominationem mediatam ab illo unico usu libertatis, quo fit actus interior, ad quam denominationem, sufficit quod actus exterior naturaliter et necessario manet ab interiori. Imo ideo illa denominatio mediata est, quia proxima emanatio actus exterioris ab interiori non est libera; nam si illa esset libera, ab illa exterior actus proxime et immediate liber denominaretur; nunc autem quia illa emanatio libera non est, ideo actus exterior solum denominatur liber ab eadem libertate, qua interior actus liber est, et ideo tantum est ibi una libertas; quod ita etiam potest declarari, quia libertas actus consistit in potestate continendi illum; voluntas autem immediate potest continere actum suum interiorem; at vero exteriorem in tantum suspendere potest, in quantum potest non velle exteriora membra movere; est ergo eadem utriusque actus libertas, quæ revera non augetur ex perfectione actus exterioris, sed quasi extensive augetur ejus denominatio, ut sic dicam, quod nihil refert ad meritum, ut explicavi. Et ideo propter nullam illarum trium conditionum actus exterior per se auget interioris meritum.

20. *Ad secundam rationem.*—Ad secundum respondetur, cum dicitur majorem gratiam esse necessariam ad volendum et perficiendum opus, quam ad volendum tantum, id dicitur ratione perseverantiæ in proposito voluntatis, quod moraliter semper antecedit executionem, et sæpissime contingit ut prius homo voluntate proponat, et postea, oblata occasione operandi, deficiat. In hoc ergo sensu dicit Augustinus majorem gratiam seu aliam esse necessariam ad perficiendum opus, quam ad volendum tantum. Tunc autem non tantum additur externum opus voluntati, sed additur nova voluntas, vel nova perseverantia in priori voluntate. Et ita tunc optime poterit augeri meritum, quia jam non sunt cætera paria ex parte voluntatis. At vero si comparetur actus interior voluntatis ad solum exteriorem actum, qui ab eo immediate procedit pro eodem instanti, vel eadem temporis duratione, sic non est necessaria major gratia ad actum externum quam ad internum, sed una et eadem ad utrumque simul datur, quia et uterque componunt unum actum morale, et, interiori posito, naturaliter ab eo manat exterior.

21. *Ad tertiam rationem.*—Ad tertium re-

spondetur, ex parte hominis, vel (ut ita loquamur) ex opere operantis, tantum meritum esse posse in martyrio in voto, sicut in martyrio in re, ut omnia adducta probant. Dicunt vero aliqui hoc esse intelligendum quoad præmium essenziale, nam quoad accidentale aliquid illi accrescet ratione actus exterioris, nempe aureolam seu gaudium quod Martyr de sua passione habebit, quod alius, qui re ipsa passus non est, habere non poterit, quantumcumque voluntatem patiendi habuerit. Quod si hoc verum est, non tantum in Martyribus, Doctoribus et Virginibus locum habebit, sed etiam in facientibus eleemosynam, vel quæcumque alia opera externa. Atque ita concedunt Richardus, Capreolus et Cajetanus, dicentes semper opus bonum externum addere aliquod meritum quoad præmium accidentale, quod præmium solum in illo gaudio constituunt. At vero si rationes supra factæ efficaces sunt, de omni merito proprio cujuscumque præmii procedunt, quia etiam meritum accidentalis præmii requirit suam libertatem. Neque illud gaudium est proprium præmium, sed est effectus necessario consequens ex tali objecto et statu, sicut etiam amicus gaudebit de bonis operibus amici. De martyribus autem aliquid amplius dicendum est, idemque suo modo de Virginibus et Doctoribus, nimirum ex peculiari privilegio et ordinatione divina, aliqua dona vel præmia esse promissa ex liberalitate divina actui externo martyrii, quasi ex opere operato, quæ non dantur propter solam voluntatem martyrii, etiamsi magnam et magis meritoriam esse contingat. Et hoc est quod Theologi docent, et in eodem sensu locutus est Bernardus, cujus veram mentem ex eadem epistola satis ostendimus. Et ideo non fit recte argumentum ad alia opera; tum quia revera, etiam in martyrio, hoc non est meritum majus operantis; tum etiam quia ex speciali privilegio non licet generalem legem inferre. Et simile de baptismo aquæ vel de communionem Eucharistiæ; nam si præcise spectetur meritum operantis, tantum esse potest in baptismo in voto, sicut in baptismo in re, et in sumptione Eucharistiæ mere spirituali, ac in sacramentali digne facta, et nihilominus cæteris paribus, plus gratiæ et gloriæ confertur recipienti exterius sacramentum quam non recipienti; quia vero illud est speciale privilegium sacramenti, et opus operatum, nihil inde contra doctrinam datam inferri potest; idem ergo est de martyrio.

22. *Ad quartam rationem.*—Quartum argumentum aliquibus visum est difficile, sed revera non est; negandæ enim sunt omnes sequelæ, quæ in illo fiunt. Et ratio est, quia in illis omnibus exemplis voluntas interior non est commensurata objecto, neque in re est tam efficax, etiam de se, quanta fuisset, si conditio, sub qua fertur, potuisset expleri, aut esset expleta, quod facile explicatur in singulis exemplis; nam, in primo, desiderium amandi infinite Deum habet pro objecto infinitum amorem Dei, et ideo, quantumcumque conatu in præsentem fiat, nunquam potest esse adæquatus tali objecto, neque habere illam vim quam ille amor haberet ad amandum Deum, si in re ponèretur, sed infinite distat ab illo, et ideo tale desiderium nec æquale nec infinitum meritum habere potest. Idem est in secundo exemplo, in quo etiam sumitur objectum infinitum, cui præsens desiderium non potest adæquari, nec etiam actui, vel actibus quos aliquis exerceat, si de facto infinitas divitias haberet, et illas effunderet. Denique in his duobus exemplis interior affectus est de re simpliciter impossibili, qui necessario est minus efficax quam voluntas de actu externo simpliciter possibili, cui potest esse commensurata, etiamsi ex accidenti desit potestas illam exequendi. In tertio vero exemplo, licet merita Apostolorum, aut Beatissimæ Virginis, quæ sunt objecta illius affectus, non sint quid infinitum simpliciter, includunt nihilominus plurimos et perfectissimos actus internos voluntatis, quibus impossibile est illum affectum in efficacia bene operandi aut volendi adæquari. Unde non comparatur ille affectus ad illa merita, sicut actus internus ad externum, qui de se adæquari possit, sed comparatur sicut actus ad objectum ita eminens et quasi immensum, ut illi adæquari non possit.

23. *Ad quintam rationem.*—Ad quintum, negatur antecedens, jam enim ostensum est voluntatem pravam, quæ propter impotentiam non impletur, æque demeritoriam esse apud Deum, ac si exterius expleretur. Hoc autem non obstante, merito dixit Augustinus, ad infelicitatem quamdam, et ad cumulum miseriæ pertinere, posse pravam voluntatem implere, non quia actus externus præcise spectatus, ac cæteris paribus, augeat offensionem Dei aut pœnæ reatum, sed quia est occasio vel ardentius peccandi, vel majoris moræ in ipsa actuali commissione peccati,

vel etiam augendi et multiplicandi peccata, ut experientia satis docet. Quod quidem etiam contingere potest in bonis, sed in illis rarius est, quia sæpe ex abundantia externarum rerum vel potestatis sumunt homines occasionem male potius quam bene operandi, etiamsi eisdem facultatibus possint bonas et pias exequi voluntates. Et ideo non ita dixit Augustinus esse feliciorum, qui potest bonam voluntatem implere, sicut dixit esse miseriores, qui malam voluntatem exequi potest. Addere item possumus, præter id quod ad Deum spectat, in ordine ad homines et ad præsentem vitam humanam, miseriam peculiarem esse, posse malam voluntatem implere, quia ex usu illius oritur sæpe proximorum scandalum, et propria infamia, et per eandem fit peccator apud homines dignior pœna; nam homines vident ea quæ parent, Deus autem intuetur cor, et ideo homines judicant de iis quæ exterius fiunt, non per se de internis affectibus. Et propter hoc etiam ex legibus humanis, sive Ecclesiasticis, sive civilibus, non recte sumitur argumentum, quia non dubitamus quin opera externa augeant meritum apud homines, qui non tam bonitatem quam utilitatem vel commoditatem humanam remunerant; hanc autem accipiunt ex operibus externis et laboribus, non ex puris affectibus internis. Quod si interdum in remunerando opere, illius virtutem, ut fortitudinis, prudentiæ, aut alterius similis excellentiam respiciunt, solum ex externis actibus de illo iudicium ferunt, quæ omnia in merito apud Deum longe diversa sunt, et ideo non recte Durandus a merito humano ad divinum argumentum sumpsit.

CAPUT VII.

UTRUM ACTUS MERITORIUS DEBEAT ESSE SUPERNATURALIS, ET EX ALIQUA ACTUALI GRATIA PROFECTUS?

1. *Prima opinio negativa.*—Primum ejus argumentum.—Secundum.—Tertium.—Soto, lib. 3 de Natur. et grat., c. 4; Medina, 1. 2, quæst. 18, art. 9, dub. penult., et quæst. 114, art. 4.—Multi ex Theologis, qui putant omnem actum moraliter bonum, et virtutis acquisitæ, esse meritorium gratiæ et gloriæ apud Deum, consequenter dixerunt necessarium non esse ut actus meritorius sit supernaturalis, neque ut procedat ex proprio auxilio gratiæ actualis. Fundamentum hujus

opinionis est, quia justus non indiget auxilio gratiæ actualis ad unum vel alium actum bonum moralem exercendum, ut in primo libro ostensum est. Ex quo principio, sequitur hujusmodi actum, etiam factum ab homine justo, esse mere naturalem. Quod autem ille meritorius sit in homine justo, videtur probari primo ex Scripturis, in quibus his operibus præmia æterna promittuntur, ut danti potum aquæ frigidæ, vel eleemosynam aut alia opera misericordiæ facienti; hæc autem promissiones non nisi justis fiunt, ut infra videbimus. Imo finale iudicium ex his operibus maxime nobis proponitur futurum, Matth. 25. Unde secundum argumentum sumi potest, quia mala opera moralia ex se merentur pœnam æternam, etiam damni et carentiæ visionis beatæ; ergo et moralia opera bona merentur æternam visionem, si alioqui persona digna et justa sit. Probatum consequentia, tum quia Deus est prior ad præmiandum; tum etiam quia oppositorum est eadem seu proportionalis ratio. Tertio, fieri solet argumentum, quia alias posset dari in homine justo opus indifferens quoad meritum et demeritum; consequens non videtur admittendum; ergo neque id ex quo sequitur. Sequela probatur, quia si homo justus faciat opus bonum morale mere naturale sine auxilio gratiæ, non demeretur; ergo vel per illud meretur apud Deum, quod intenditur, vel illud opus nec meritorium, nec demeritorium est, quod est esse indifferens in genere meriti. Hoc autem consequens admittendum non esse probatur, quia juxta veriorum doctrinam non datur opus in individuo indifferens in ratione boni vel mali; ergo neque in ratione meriti admittendum est; videtur enim esse eadem ratio, præcipue illa, quod talis actus otiosus et inutilis reputandus est, cum ad vitam æternam non conducat, unde non videtur aliqua morali deformitate carere. Unde pro hac sententia referri possunt omnes auctores, qui sentiunt non posse dari in homine justo opus indifferens in genere meriti, ac proinde omne opus moraliter bonum, factum ab homine justo, etiam ductu rationis naturalis, et solis viribus liberi arbitrii, esse meritorium de condigno vitæ æternæ, quæ dicitur fuisse opinio Victoriæ, et eam sequuntur Soto et Medina, et nonnulli alii moderni Thomistæ.

2. *Assertio prima: opus meritorium debet ab actuali gratia procedere.* — Probatum primo ex Concilio Tridentino, sess. 6, c. 16. — Nihil

ominus contrariam sententiam omnino veram censeo, quam breviter duabus assertionibus explicabo. Prima est, ut opus sit meritorium simpliciter apud Deum, id est, de condigno, et de justitia, et vitæ æternæ, vel alio cuius doni quod ad illam conferat, necessarium esse ut ab actuali gratia procedat. Loquor de actuali gratia, quia, licet habitualis necessaria etiam sit, ut infra videbimus, nunc dicimus illam non sufficere, sed necessariam esse actualem. Ita sentiunt quamplures ex modernis, qui de gratia contra hæreticos hujus temporis scripserunt, quos paulo post referam. Videturque probari efficaciter ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 16, ubi postquam docuit justos suis bonis operibus mereri vitam æternam, rationem reddit his verbis: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus vitam æternam promeruisse censeantur.* In quibus verbis posset aliquis dicere, per virtutem, quam Christus jugiter in justificatos influat, intelligere tantum gratiam sanctificantem, et virtutes infusas, quas Christus in justificatos semper influat, saltem eas conservando. Sed hoc alienum certe videtur a mente Concilii, et a proprietate verborum; nam, cum dicit illam virtutem semper antecedere, comitari et subsequi bona opera justorum, aperte alludit ad auxilia prævenientia, comitantia et subsequentia, de quibus in libro tertio dictum est. Item cum dicit Christum influere hanc virtutem, sicut vitis in palmites, plane loquitur de influxu auxilii actualis, ut ex verbis Christi, a quibus illa metaphora sumpta est, infra ostendemus; ergo, juxta hanc interpretationem, necessarium semper est ad opus meritorium auxilium actuale gratiæ.

3. *Ejusdem capituli verba alia ponderantur pro assertione.* — Pondero præterea alia verba ejusdem capituli, ubi dicit, licet bonis operibus justorum merces æternæ gloriæ promittatur: *Absit tamen ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel gloriatur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Et in eis primum expendo quod, si homo jam gratus posset per solas virtutes naturales meritorium opus efficere, posset aliqua ex parte

in seipso confidere, quia jam suis viribus sine auxilio gratiæ posset mereri. Sicut si creatura posset post receptam virtutem a Deo sine concursu ejus operari, merito posset de sua virtute confidere. Item haberet homo aliquid unde posset in se, et non in Domino gloriari. Nam juxta Pauli doctrinam, 1 ad Corinth. 4, tunc aliquis in se gloriatur, quando de aliquo bono gloriatur quasi non acceperit; et sancti, præsertim Augustinus, exponunt ita gloriari in se, quicumque præsumit posse suis viribus, et sine actuali auxilio gratiæ, quod ad vitam æternam conducat. Unde etiam est ponderandum quod omnia opera, quæ Deus vult esse nostra merita, dicit esse ipsius dona; non vocantur autem opera specialiter dona Dei, nisi quia fiunt per auxilium gratiæ. Sic enim ex eo quod, ad Philippens. 4, dicit Paulus: *Vobis donatum est pro Christo, ut credatis,* colligere solet Augustinus, ad credendum esse necessarium auxilium gratiæ.

4. *Eodem modo locutus antea fuerat Cælestinus Papa.* — Accedit quod sententia illa sumpta est a Cælestino Papa, qui in prædicto sensu illam exposuit. Nam in Epistol. 1 ad Episcopos Galliarum, cap. 8, cum dixisset, omnia studia, et omnia opera, et merita Sanctorum ad Dei gloriam esse referenda, rationem subjungit, dicens: *Quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donavit.* Quomodo autem donet, declarat in fine capituli dicens: *Ideo utique, quia præparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum tangat ipse corda fidelium,* etc. Ergo si omnia merita sunt dona Dei, omnia isto modo donantur ab ipso, ac subinde in illis verum est, quod ibi concludit: *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere sentiamus auxilium;* et in eodem sensu repetit in cap. 12: *Ut omnium bonorum affectuum, atque operum, et omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fides attenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus, et facere, quo utique auxilio et munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur,* et tandem subjungit: *Tanta enim est erga homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* Cum ergo Concilium Tridentinum sententiam et verba Cælestini

usurpet, dubitari non potest quin in eodem sensu dixerit nostra merita esse dona Dei, quo Cælestinus id explicavit, utique ratione specialis gratiæ auxilii.

5. *Ponderantur et alia ex sess. 14, cap. 8.* — *Can. 20 ex Augustino, lib. 2 contra duas Epistolas Pelag., c. 8.* — *Can. 22 ex Augustino, tract. 19 in Joan., sumptus.* — Optimum præterea argumentum, ad veritatem hanc confirmandam, sumimus ex eodem Concilio, sess. 14, cap. 8, ubi ad faciendum opera satisfactoria pro pœna temporali, quæ, remissa culpa, manet, requirit non tantum habitualem gratiam (imo de hac nihil expresse dicit), sed actuale auxilium; sic enim ait: *Neque vero ita est satisfactio hæc, quam pro peccatis exolvimus, ut non sit per Christum Jesum, nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat omnia possumus, ita non habet homo unde gloriatur.* A satisfactione autem ad meritum sumitur argumentum, tum quia magis est mereri vitam æternam quam satisfacere pro pœna temporali; unde potest quis pro altero condigne satisfacere, non tamen alteri gratiam vel gloriam de condigno mereri; tum etiam quia non magis potest homo gloriari in proprio merito quam in satisfactione. Denique etiam illationem possumus ex Concilio confirmare, nam subdit statim: *Omnis gloria nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.* Tandem addere possumus Concilium Arausicanum, canon. 8, dicens: *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Loquitur autem de gratia auxiliante, ut ex discursu cæterorum canonum constat, et præsertim ex 20, dicente: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona, quæ non præstat Deus ut faciat homo;* præstat hoc Deus per auxilia specialia, et necesse est intelligi, saltem de operibus pietatis, inter quæ dubium non est quin omne opus meritorium de condigno numeretur. Similiter induci potest canone 22, quia, per omne opus meritorium servit homo divinæ voluntati; quoties autem sic servit, voluntas ejus a Domino præparatur, utique per speciale aliquod auxilium; ergo nunquam meretur homo apud Deum sine tali auxilio. Major nota est ex ipsa ratione meriti; minor a Concilio in illo canone traditur; ergo virtute docet consequens, quod inde sequitur.

6. *Probatum secundo assertio ex plerisque*

aliis auctoritatibus sacris. — Unde ulterius probari potest assertio omnibus testimoniis Scripturæ, Conciliorum et Patrum, quibus supra, lib. 4, ostensum est ad singula opera pietatis necessarium esse auxilium actuale gratiæ, non solum injustis, sed etiam justis. Nam quodlibet opus meritorium de condigno est opus pietatis, quia ad justitiam apud Deum et vitam æternam conducit; ergo ad omne opus meritorium necessarium est actuale auxilium gratiæ. Atque hoc modo fundatur optime assertio in verbis Christi, Joan. 15: *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum;* qui quidem fructus in meritis maxime consistit. Addit autem Christus Dominus rationem: *Quia sine me nihil potestis facere;* nihil, scilicet, quod inter illos fructus computari possit; ergo sine Christo nihil meriti facere possumus. Illud autem *sine me*, intelligunt Concilia, et Patres dicto loco citati, id est, sine sine auxilio meo, sine excitatione et cooperatione mea; ergo quodlibet opus meritorium sub illa sententia Christi comprehenditur. Simile argumentum sumitur ex sententia Pauli ad Philip. 2: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini;* et subjungit mirabilem rationem: *Deus est enim qui in vobis operatur, et velle, et perficere pro bona voluntate.* Quoties ergo operamur salutem, Deus incipit et perficit opus, quod ad auxilia actualis gratiæ pertinet; sed per quodlibet opus meritorium operamur salutem; ergo in omni opere meritorio Deus incipit et perficit per auxilium actuale. Eodem modo expendi potest illud 1 Corinth. 3: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit;* nam quodlibet opus meritorium de condigno est aliquod gratiæ et sanctitatis incrementum; ergo Deus est, qui omne hujusmodi incrementum dat. Et nihilominus addit Paulus: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, Dei enim sumus adjutores,* ac si diceret laborem hominis dignum esse mercede, quia non solus ipse operatur, sed adjuvat Deum in se operantem; ergo in omni opere bono non est homo principalis operator, sed cooperator Dei, principaliter operantis. Unde optime Augustinus, sermon. 16 de Verb. Apostol.: *Illo modo possumus exigere Dominum nostrum ut dicamus: Redde quod promissisti, quia fecimus quod jussisti, et hoc tu fecisti, qui laborantes juristi.* Et idem confirmat Leo Papa, serm. 7 Quadrag., cujus verba postea tractabimus. Tandem induci potest

illud 2 ad Corinth. 3: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis,* nam ut argumentatur Augustinus in libr. de Prædestinat. Sanctor., in principio, opus meritorium non fit sine pia cogitatione; ergo si pia cogitatio non potest haberi sine auxilio gratiæ, multo minus poterit sine illo fieri opus meritorium, ideoque recte dixit August. Epist. 106, non longè a principio: *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sint nobis, ac per hoc et ipsum hominis meritum donum est gratuitum.* Atque ad hunc modum multa alia testimonia in dicto loco citata induci possunt. Ratio vero assertionis ex sequenti sumenda est, et in multis ex capitum sequentium doctrina est declaranda.

7. *Assertio secunda: actus meritorius debet esse modo aliquo supernaturalis.* — *Probatur primo ex Scriptura.* — Secunda ergo assertio est, omnem actum meritorium apud Deum esse aliquo modo supernaturalem. Dixi aliquo modo, quia non contendo esse debere supernaturale quoad substantiam, sed vel isto vel alio modo, sive absoluto, sive respectivo, sive physico, sive morali. Et ita possunt pro hac assertionem referri omnes auctores, qui docent actum virtutis moralis non esse meritorium sine relatione charitatis, quæ sine dubio supernaturalis est. Quam opinionem graves Theologi tenent, quos infra referemus; et interim videri potest Bellarminus, libr. 5 de Justificat., capite 15 et sequentibus, nam in eis multa adducit, quæ assertionem confirmant. Quidquid tamen sit de propria relatione charitatis, necessarium censeo ut actus fiat aliquo modo supernaturali, de quo quis vel qualis sit postea inquiram; nunc solum probo ita esse. Primo, quia quoties Scriptura promittit præmium nostris operibus, vel loquitur de actibus in se supernaturalibus, ut sunt actus fidei, spei et charitatis, vel cum de moralibus loquitur, illis addit aliquid quo supernaturalem modum indicet, quale est illud Matth. 10: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justî, mercedem justî accipiet; et qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Marcus autem capite nono dixit: *Quicumque dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis.* Quæ omnia significant aliquam relationem operis supernaturalis; imo in verbis Matthæi significa-

tur mercedem futuram esse proportionatam tali modo operandi. Qui modus solet etiam significari a Christo per particulam *propter me*, Matth. decimo; vel *propter nomen meum*, Matth. decimo nono; vel, *in nomine meo*, ut Luc. nono: *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit;* et ideo Paulus, ad Colossens. tertio, monet: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite,* nimirum, ut sint ad vitam æternam utilia.

8. *Probatur secundo quod assertio hæc consequatur ex præcedenti.* — Secundo, sequitur hæc assertio ex præcedenti, nam quando opus tale est ut semper et in singulis, et, ut ita dicam, per se, necessarium sit auxilium gratiæ ad illud perficiendum, signum est tale opus esse supernaturale; sed ostensum est tale esse quodlibet opus meritorium, ut per se, ac semper, et in singulis auxilium gratiæ ad illud requiratur; ergo signum est tale opus semper esse debere supernaturale. Major in lib. 1 et 2 late probata est, quia quando opus est mere naturale, per se fieri potest per naturalia principia et auxilia; quod si interdum fieri non potest sine auxilio gratiæ, est quasi ex accidenti, propter difficultates vel impedimenta ex peccato exorta. Unde quia illæ difficultates possunt interdum in particulari cessare, non est illa necessitas tanta, ut non possit aliquis talis actus sine auxilio gratiæ interdum fieri. Cum ergo hoc in opere meritorio non contingat, signum est necessitatem auxilii provenire ex aliqua supernaturalitate operis ad meritum requisita. Unde confirmatur optime, quia etiam in Angelis et in homine in statu innocentie fuit necessarium auxilium gratiæ ad meritum, ut superius adducta probant; at vero in illis non erat necessarium auxilium gratiæ ad opera naturalia, vel naturales proprietates eorum; ergo signum est ad meritum esse necessariam aliquam conditionem supernaturalem actus, ratione cujus erat illis necessarium actuale auxilium gratiæ ad meritum.

9. *Probatur tertio ratione a priori.* — Ultimo, addere possumus rationem a priori, quæ, licet ex ordinatione divina, in Scripturis declarata, præcipue sumenda sit, tamen in ipsa rei natura habet congruitatem et fundamentum; nam media debent esse fini proportionata; meritum autem est unum ex possibilibus mediis ad consequendam beatitudinem supernaturalem, quia proprium meri-

tum de condigno non est nisi vitæ æternæ vel gratiæ, sub gratia comprehendendo omnia auxilia quæ ad vitam æternam conducunt, ut postea videbimus, et e converso vita æterna non datur, per se loquendo, his qui mereri possunt, nisi mediante merito; ergo meritum semper esse debet aliquod opus ejusdem ordinis cum illo fine, ac proinde supernaturale. Quæ illatio confirmari potest, nam simili discursu probatum est esse aliquos actus supernaturales, et dispositiones ad gratiam debere esse supernaturales, et ad primum auxilium gratiæ non posse dispositionem præcedere, quia deberet esse naturalis; ergo non minus certa debet in proposito censi. Et quidem in hoc sensu videtur locutus D. Thomas, quæst. 109, artic. 5, ad merendum necessariam esse gratiam, et loquitur non solum de actuali, sed etiam de habituali; utique ista ratione, quod actus perducentes ad finem, debent esse fini proportionati; et simili modo loquitur, quæst. 114, artic. 2; et consentire videtur Cajetanus, 1 part., quæst. 63, art. 6, in solut. ad 3, dub. 1. Consentit Waldens., tom. 3 de Sacramentalibus, cap. 9; Osius, in Confessio., cap. 66; Lindan., lib. 3 Panopliæ, cap. 20, et alios in sequentibus capitibus referemus, et in eis particularibus difficultatibus occurrentibus satisfaciemus.

10. *Ad primum argumentum in num. 4.* — *Ad secundum.* — Argumenta vero in principio posita nunc breviter expediemus. Ad primum, concedimus justos mereri de condigno per opera moraliter bona, sicut in Scripturis citatis significatur; dicimus tamen oportere ut aliquo modo supernaturali fiant, quod in illis locis non negatur, et in aliis declaratur, ut vidimus; quis autem sit iste modus ex discursu sequentium capitum constabit. Ad secundum, in quo ex demerito fit illatio ad meritum, respondetur ineptissimam esse illationem; nam homo suis viribus potest gratiam et gloriam perdere, non tamen acquirere, quia longe facilius est deficere a bono quam illud perficere; sicut etiam supra de omissione pura diximus, etsi fortasse posset ad demeritum vitæ æternæ sufficere, non tamen ad meritum.

11. *Tractatur questio in tertio argumento inclusa.* — *Pars negans immerito tribuitur D. Thomæ.* — *Jam solvitur, quod tertio argumento opponebatur.* — Tertium argumentum petit quæstionem, quæ ab aliis late tractari solet, an in homine justo possit dari actus

indifferens in ratione meriti, id est, nec meritorius, nec demeritorius, esto non possit in individuo dari actus indifferens in ratione boni vel mali. Aliqui enim partem negantem D. Thomæ attribuunt in 1. 2, quæst. 18, artic. 9, et quæst. 21, art. 4, sed immerito, nam in priori loco non agit de merito, sed de bonitate et malitia; nos autem jam supponimus hoc posteriori modo non dari actum indifferenter. In altero vero loco imprimis D. Thomas non tractat de merito de condigno, sed de merito, secundum quamdam generalem rationem, quæ potest in omni actu bono salvari, ut postea videbimus. Unde, quod notandum est, D. Thomas non tractat specialiter de operibus justorum, et discursus ejus æque procedit in operibus bonis peccatorum. Dico ergo nullum esse inconueniens dari in justo opus bonum, ac proinde non demeritorium, quod nec meritorium de condigno sit, quia illa duo, scilicet, meritum et demeritum, nec de se sunt immediate opposita, quia non includunt immediatam contradictionem, sed quasi moralem oppositionem contrariam, in qua potest inveniri medium per carentiam utriusque contrarii, nec potest assignari divinum præceptum, vel ordinatio, vel aliud principium extrinsecum, ex quo talis necessitas, vel immediata oppositio oriatur. Et huic sententiæ favet divus Thomas, quæst. 114, artic. 3, quatenus dicit opus bonum, quatenus est a libero arbitrio, esse meritorium tantum de congruo, nam inde recte colligimus, si in homine justo sit opus bonum a solo libero arbitrio procedens, ad summum esse posse meritorium de congruo. Neque contra hoc obstat quod objiciebatur, quia talis actus, quatenus inutilis ad vitam æternam, non videtur aliqua deformitate carere. Respondemus enim primo, deformitatem illam, si qua est, solum esse imperfectionem negativam, non privativam, et ideo non reddere actum malum, sed non perfectum. Secundo, dicimus, licet talis actus non sit per se utilis ad vitam æternam, juvat saltem tanquam removens prohibens, quia impedit peccatum, et hoc satis est ut possit esse bonus, si objectum et circumstantias debitas habeat. Et hæc resolutio ex his, quæ postea de merito moralium actionum dicemus, magis confirmabitur.

CAPUT VIII.

UTRUM SOLUS ACTUS ELICITUS A CHARITATE SIT MERITORIUS DE CONDIGNO APUD DEUM?

1. *Tres virtutum ordines.* — Diximus opus meritorium non tantum bonum, sed etiam aliquo modo supernaturale esse debere; sequitur explicandum qualis esse debeat hæc bonitas, et quanta hæc supernaturalitas, quod præstabimus discurrendo per tres ordines virtutum. In primo ponimus solam charitatem, tanquam summe perfectam, et aliquo modo principium et radicem totius meriti; in secundo ponimus virtutes et dona per se infusa; in tertio reliquas virtutes morales infimi ordinis, seu acquisitas. Et imprimis circa actus charitatis supponimus tanquam per se notum, actus elicitos a charitate maxime esse per se, et intrinsece meritorios de condigno apud Deum, quia nulli sunt excellentiores actus, nec Deo gratiores; et ideo in Scriptura maxime promittuntur præmia diligentibus Deum, et Paulus dixit, Dominum redditurum coronam justitiæ non solum ipsi qui fidem servaverat, sed etiam omnibus qui diligunt adventum ejus, 2 ad Timoth. quarto; et ad Galat. quinto, apud Deum tantum valere fidem, quæ per charitatem operatur; et 1 ad Corint. 13, omnia charitati tribuit.

2. *Perperam limitatur ad certam intensionem vel durationem vis charitatis ad merendum.* — Solum posset in hoc puncto quæri an hoc sit verum de omni actu charitatis indifferenter; non enim defuerunt qui aliquam limitationem in hoc posuerunt, vel ex parte durationis, vel ex parte intensionis, postulantes aliquem certum gradum, vel minimum terminum, infra quem actus, etiamsi charitatis sit, non sit meritorius; ad eum utique modum quo aliqui Scholastici dixerunt, non omnem actum amoris vel contritionis sufficere ad obtinendam justitiam et remissionem peccati, nisi certam intensionem habeat, vel tanto tempore duret. Sed, sicut illa sententia omnino falsa est, et hoc tempore improbabilis, ut tom. 4 tertiæ part., disputat. 4. sect. 4 et 5 ostendimus, ita in præsentem illud asserere esset ineptissimum, quia rationes ibi factæ, hic etiam vim habent, et quia est limitatio quædam, præter absolutum et indefinitum modum loquendi Scripturæ, sine ullo probabili fundamento rationis vel auctoritatis.

3. *Probatur de duratione divisibili.* — Et quidem de duratione neminem dixisse invenio, esse necessarium ut actus aliquo determinato tempore, etiam minimo, duret. Non defuerunt tamen, qui dixerint necessarium esse ut pro tempore durent, indefinite tamen, quia quælibet temporalis duratio, quantumcumque minuatur, sufficiet; moti præcipue vulgari sophismate de continuatione actus. Verumtamen mihi hoc etiam improbabile est, quia in uno instanti habet actus charitatis totam suam perfectionem substantialem et intrinsecam, cum sufficiente usu libertatis; et ita malus angelus in primo instanti suæ creationis vere meruit, licet pro solo illo in gratia perseveraverit, ut communior opinio fert. Et Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis perfectissime meruit, et non minus quam in aliquo vitæ tempore, quia infinite. Sed de hoc puncto iterum in c. 21 occurret sermo.

4. *Probatur de intensione.* — De intensione vero actus neminem invenio, qui ad meritum, absolute loquendo, certam quantitatem absolutam intensionis postulet, etiam minimam. Aliqui vero illam requirunt quasi respectivam; volunt enim necessarium esse ut actus sit intensior habitu, quia alias nihil novi merebitur, saltem in præmio essentiali. Sed hanc opinionem satis supra impugnavimus in l. 9. Quapropter indistincte supponimus, omnem actum elicitem a charitate, quantum est ex parte actus, esse meritorium de condigno. Dico autem, quantum est ex parte actus (quod semper in sequentibus subintelligendum est), quia ex parte personæ, est necessarius status gratiæ, et alia infra tractanda. Et quamvis si actus sit actu elicitem ab habitu jam supponat statum gratiæ, fieri tamen potest ut actus similis non sit elicitem ab habitu, sed ab auxilio, et tunc potest deesse conditio ex parte operantis. Quomodo autem hoc contingat, et qualiter intelligendum sit, in sequentibus explicabitur.

5. *Questionis sensus.* — Prima opinio affirmans. — Hac ergo generali affirmatione supposita, præsens quæstio est de altera parte exclusiva, scilicet, an solus actus elicitem a charitate sit meritorius apud Deum de condigno præmii substantialis, id est, gratiæ sanctificantis, et visionis Dei; hoc enim nunc vocamus simpliciter meritum de condigno; nam meritum accidentalis præmii parvi momenti aut considerationis esset, nisi esset annexum substantiali præmio quod supponeret.

In hac ergo quæstione est prima opinio affirmans, solos actus elicitos a charitate esse meritorios de condigno præmii substantialis, actus vero aliarum virtutum, licet a charitate imperentur, non addere illis meritum præmii substantialis, sed accidentalis tantum. Hæc opinio videtur habere magnum fundamentum in D. Thoma, 1 p., quæst. 95, art. 4, ubi sic ait: *Quantitas meriti ex duobus potest pensari: uno modo ex radice charitatis et gratiæ, et talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione; alio modo considerari potest quantitas meriti ex quantitate operis, quæ quidem est duplex, scilicet absoluta et proportionalis, et tamen utraque respondet præmio accidentali, quod est gaudium de bono creato.* Eamdem opinionem videtur satis expresse docere Bonavent. in 2, dist. 40, art. 2, q. 3, ubi inter alia dicit, quatenus aliquid valet ad meritum, quia per illud meretur homo majorem gloriam, hoc modo majorem charitatem valere ad perfectum meritum, reliqua vero virtutum opera solum proficere ad hoc meritum, quia vel disponunt ad profectum charitatis, vel ad conservationem et perseverantiam ejus, removendo impedimenta, unde concludit, non augeri mercedem præmii substantialis propter multiplicationem talium operum. Et hanc opinionem maxime defendit hoc tempore Bannez, 2. 2, q. 24, a. 6, dub. 5.

6. *Suadetur ex Scriptura.* — Fundatur præcipue in aliquibus locis Scripturæ, quibus soli charitati, seu dilectioni Dei videtur promitti essentielle præmium. Nam Christus, Joan. 14, dixit: *Si quis diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum;* et Paulus, ad Rom. 3, hac ratione dixit: *Plenitudo legis est dilectio;* et 1 ad Cor. 13, non solum illam præfert omnibus, sed etiam illi tribuit omnium virtutum officia, quia ab illa habent quod meritoria sint, et sine illa nihil valent, et ideo ad Coloss. 3: *Super omnia (inquit) charitatem habete, quod est vinculum perfectionis;* et ad Ephes. 3: *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere, etc.;* ac denique ad Galat. 5: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Totus ergo valor nostrorum operum, præsertim in ordine ad substantiale præmium, in charitate positus est. Quod potest etiam confirmari ex illo 1 ad Cor. 2: *Oculus non vidit, neque auris audivit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus di-*